

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**PROGNOSTICA=||TIO IOANNIS LIECHTENBERGERS, QVAM  
OLIM SCRI-||psit super magna illa Saturni ac Iouis  
coniunctione, quae fuit Anno M.CCCC.||LXXXIII. praeterea  
ad eclipsim Solis anni sequētis uidelicet ...**

**Lichtenberger, Johannes**

**Köln, 1526**

Capvt tricesimumprimum

[urn:nbn:de:bsz:31-160364](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160364)

ptantur, leges esse mutabiles. non erit autem mutatio uel institutio, nisi impetu aut consensu existente in populo. nequeunt ergo fieri leges, & continuari aut abrogari, nisi iuxta astrorum applicationes tales impetus, ut præmittit, causantes. naturalium enim effectuum superælestia corpora causas esse, & edyphes illa significare nemo sanæ mentis dubitabit,

## IMMEDIATE POST HOC VEL

in eo tempore nasceretur alius propheta, uidelicet ut uir religiosus, miram ostendens sanctitatem.



## CAPVT TRICESIMUM PRIMUM.



Lium prophetam minorem mira quadam scripturarum interpretatione fulgentem, ac quadam diuinitatis auctoritate responsa proferentem, qui mortalium animas ad terram delapsas, suæ subiciet ditioni, prodigiosa hæc constellation nasciturum portendit. Nam astrologi prophetas minores appellare solent, qui mutationem aliquam in lege faciunt, aut nouas ceremonias inducunt, diuinasque scientias & au-

L ij

PROGNOSTICVM IOANNIS

Fortitates studiosis interpretationibus exponentes. quorum sententia tanq̄ diuina quaedam iudicia & documenta ab hominibus approbantur. Verum tales alios pseudo, ut Mahumetum, alios ueridicos esse contingit, quales diuinum Franciscum & sanctum Dominicum fuisse constat. qualis autem hic erit, in posterum liquebit. Et quanq̄ conclusionem hanc confitendam esse arbitror ab omnibus qui Astrologiam calleant, ut tamen clarior parumper uideatur, pro eius assertione digrediar paulisper, insignes quasdam mutatae triplicis coniunctiones, longo iam tēporis intervallo, & multis intercedentibus annis peractas exponam. Quarum una quidem in aquea

triplicitate anno salutis. M. ccc. lxxv. in octauo Scorpionis gradu perfecta fuit. duæ uero præcedentes eam, atq̄ itidem duæ sequentes ipsam in

aerea triplicitate, in Geminis

scilicet & Aquario

factæ sunt. Tertia uero

post ipsam quæ fuit

anno gratiæ. M. cccc. xxv.

rursus ad aqueam triplicitatem

in tredecimo Scorpionis gradu rediit, & usq̄

in præsentem diem in hac triplicitate permansit. Iam itaq̄

satis patere puto, prophetæ natiuitatem &

genituram expectandam

fore.

NATIVITAS NOVI  
prophetæ.



## CAPVT TRICESIMVMSECVDVM.



**D**ico q̄ in patria Scorpionis subiecta nascet propheta, prius tamen portentis quibusdā, ac ostentis nonnullis & prodigijs in aere uisis. Verum qua in mundi parte septentrione scilicet an meridie, tam uariæ sunt doctissimorū hoīm tanq̄ discrepantes auctorum sententiæ, ut recte sibi inuicem contrariæ uideantur esse. Albumazar aquatica signa meridionalē terræ plagam ostentare censet. Communī tamē auctorum sententiā septentrionalē significant. Quicq̄d

L iij